Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1813
Quelle:
Copyright:

II. p. 181. nihil tamen de Lite nostra eidem intentata.

DCCLV.

U. 774 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 183. f. eleganter exaratus, aliud Exemplar est ejusdem *Summae*, olim *Joh. Fabri* nostri κτημα, gaudetque hac clausula: *Comparatus libellus iste, videlicet Summa Pyzana per discretum virum, Jacobum Presbyterum ortum de Werona* (Beraun); *Finitus autem est et completus per Mathiam Parwinum de Grecz Regine super Albea* (Albi fl.) *sub anno Domini. 1399. Feria V. Hora quasi meridiei. Amen.*

DCCLVI.

U. 775 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 222. f. olim *Bertholdi de Emmerstorf* Presbyteri *Patav.* Dioec. tertium Exemplar est relatae *Summae*, ita subscriptum: *Completus est hic liber in vigilia beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno Domini 1403.*

DCCLVII.

Codex chartaceus lat. germ. U. 697 Sec. XV. Folior. 183. f. non una manu perscriptus per duas columnas et rubricis distinctus complectitur sequentia: I. *Summam*, ut e calce adsumo, *penitentiarum*, cujus initium: *Si Operam medicantis expectas, Oportet vt wlnus detegas. Hec propositio scribitur a boetio in libro de consolacione philosophye* &c. Hunc Praefatorem alium esse ab Autore Opusculi mox patet: *Causa efficiens secundum quosdam fuit magister Johannes de Garlandia. Quidam tamen dicunt quod Bernhardus silvestris.* — Titulus talis est. *Incipit summa penitentiarum Magistri Johannis de garlandia* &c. Vir hic, de quo plura *Leyserus*, *Fabricius*, et *Tannerus*, qui illum rectius a Sec. XI. ad XIII. reponit, Poeta fuit et Carmen elegiacum *de Poenitentia* condidit, quod *ms.* extat in *Bodlejana*; atque inde fortassis error. Sed neque *Bernardum* illum *Silvestrum*, seu *Carnotensem* de Poenitentia scripsisse reperio. Quid igitur est? Commentarium habemus in Versiculos, quorum initium:

Poeniteas cito peccator, cum sit miserator
Judex, et sunt haec quinque tenenda tibi. &c.

quique cum alio Commentario simili lucem videre non semel sub Typographiae primordia. An autem hi Versiculi *Johannis de Garlandia* sint, non nisi *Bodlejana* decidere potest.

II. *fol.* 14. praemisso Capitum Indice *Incipit liber de miseria humane condicionis editus a lotario Dyacono cardinali Sanctorum Sergi et bachi. Qui postea innocencius papa appellatus est.* Saepe a nobis